

Q. B. V. D. T. O. M.

# OMNIBUS DISCIPLINIS

Suum esse pretium,

Cum Consensu Ampl. Facult. Philos.  
ad Auram,

PRÆSIDE

Max. Rever. DOMINO

Mag. JOHANNE HAARTMAN

Phil. Theoret. Prof. Ord.

*Animi exercendi ergo, bac disputatione ibit  
per Divinam gratiam stabilitum,*

JACOBUS GARWOLIUS,

*Biörneburg.*

Die si Deo visum XXX. Junii, anno  
MDCCXXXI.

Loco horisque solitis.

---

ABOÆ, Exc. R. Acad. Typ. J. Kiämpe.

VIRO

Maxime Reverendo atque Amplissimo,

DOMINO

M<sup>AG.</sup>. JOHANNI  
HAARTMAN,

Philosophicæ Theoreticæ in Regia hac-  
ce Academia Professori Ordinario,  
Consistorii utriusque Adseffori Gravis-  
simo, Pastori in Råndåmåki Vigilan-  
tissimo ; Mæcenati & Patrono humil-  
lima mente ætatem colendo.

Salutem atque

**S**i grato animo nihil quidquam gra-  
tius, nihil melius, nihil denique  
probo homine dignius est; quod docet  
ingenuus quidam Philosophus: non mi-  
raberis Patrone insignis, quod in si-  
gnum

VIRO

Admodum Reverendo atque Praclarissimo,

DN. JACOBO  
GARWOLIO,

Ecclesiarum Biörneburgensium Pastori  
longe Meritissimo, adjacentis districtus  
Præposito gravissimo; Scholæ ibidem  
Trivialis Inspector Adcuratissimo; Pa-  
renti ut optimo, ita omni filiali reve-  
rentia & cultu æternum prosequendo.  
incolumitatem!

Cum egomet necum pensito; Tuam  
Carissime Parens, in me usque a  
teneris annis propensionem, Tuam de  
me curam & animi sollicitudinem,  
Tuos sumitus quos ad hunc usque diem  
ad mea studia impendisti largiter: in-  
genue

gnum gratissima mentis exiles has pa-  
gellas Magno Tuo Nomi*ni* inscribere  
ausus sim. Non respondet quidem hoc  
officiorum genus tuis Vir Celeberrime  
meritis; firmo tamen alor spe, Te Ma-  
cenas Magne, hoc quidquid est pignus  
gratissimi animi, etiam sereno aspectu-  
rum vultu, & permisjurum, ut sub  
tutela atque præsidio tuo, mihi etiam  
in posterum quiescere liceat. Ego vota,  
pro Tua Mecenas Magne, nobilissi-  
maque familiæ salute, fundere calidissi-  
ma non intermittam, permanurus,

Celeberrimo Nomi*ni* Tuo,

Devotus Cultor,

Jacobus Garwoli*us*.

genue fatear necesse est urgente veritate,  
Te singulari prorsus amore me semper amplexum esse. Quam Tuam beneficentiam, licet remunerari non queam, hic tamen redibit Tibi, Pater exoptatisime, fructus, ut preco tuæ benignitatis ipse existam, quam gloriam nulla unquam delebit oblivio. Quocirca nec hac vice potui tenue hocce opusculum, tuis impensis editum, Tibi Parens Carissime non dedicare; Cum voto ardentissimo, ut per longam annorum seriem, sospes, felix, ab omni etiam mali metu immunis nobis vivas superstes: tandemque finitis hujus ævi incommodis in æterna migres tabernacula! Quod, dum spiritus regit hos artus candide voveo,

Tui, Carissime Parens,

Observantissimus  
Filius,

Jacobus Garwolijs.

*Admod. Rever. atque Praeclarissimo VIRO,  
Mag. MARTINO FLORINO,  
Ecclesiarum, quæ Deo in Cangasala  
colliguntur Pastori multo Dignissimo;  
totiusque illic tractus Præposito longe  
Vigilantissimo; Evergetæ & Patrono,  
omni observantia colendo.*

*Plur. Rever. atque Eruditissimo VIRO,  
Dn. ANDREÆ WINQVIST,  
Pastori in Brahestad & Salo Laudatissimo; ut ante tempus aliquod Præceptoris fidelissimo, ita jam Fautori indubitatissimo, quovis reverentiae genere suspiciendo.*

*Pergam Rever. atque Doctissimo VIRO,  
Dn. JOHANNI BERGMAN,  
Collegæ Primario Scholæ Trivialis Arctopolitanæ Meritissimo, ut olim studiorum Directori Fidissimo, ita nunc  
Fautori certissimo,*

*Plur. Rever. atque Eruditissimo VIRO,  
Dn. CLAUDIO RENNER,  
Scholæ Trivialis Biörneburgensis Re-  
ctori Meritissimo ; ut pridem Præce-  
ptori fidissimo , ita jam Fautori quovis  
obsequii cultu prosequendo.*

*Spectatissimo atque Consultissimo VIRO,  
Dn. PETRO STÅHLFOOT,  
Consuli Civitatis Biörneburgensis Æ-  
quissimo , Patrono & Fautori, non u-  
no nomine venerando.*

*Perquam Rever. atque Doctissim⁹ VIRO,  
Dn. ERICO FORIELIO,  
Sacellano in Illſby Dignissimo atque  
impigerrimo , adfini suo hono-  
ratissimo,*

**H**as immaturi ingenii sui primiti-  
as, in memoriam vestri favoris,  
in se domumque paternam, perpe-  
tuæque fæcæ erga Vos observantiaæ te-  
stificationem, Vobis Patroni & Fa-  
tores optimi, cum omnigenæ felici-  
tatis adprecatione sacratas esse cupit,  
*Nominum Vestrorum,*

Admod. Rever. Plur. Rever. Cons. &  
Perquam Rever. Domini,

*Observantiss. Cultor,*

A. & R.



C. B.

Lector Benevole!

**O** Vod Insignis auctor Pon-  
tificius *Ludovicus Granata-*  
*tensis* in libello, qvi in-  
scribitur: *Dux Peccato-*  
*rum*, Libr. II. part. II. c. XXI p.m.  
246. dicit: *In virtutibus accidere,*  
*quod in scientiis, quarum unaqua-*  
*que ad cœlum usque laudibus attol-*  
*litur, ab eo qui in illa excellit: a*  
*quo vicissim omnes alie tanquam in-*  
*utiles contemnuntur.* Orator dicit  
*in orbe terrarum non esse nobilior e-*  
*loquentia.* Astrologus adserit, *A-*

**A**strolo-

strologiam omnibus artibus palmam  
præripere, eo quod de cœlo & stellis  
tractat. Idem de Philosophia Philosoph.  
affirmat. Theologus Scholasticus ne-  
sciens medium tenere locum, omnes  
alias scientias damnat, & solium  
suum super omnes collocat. Nec de-  
sunt unicuique verisimiles rationes,  
ad probandum suam sententiam esse  
meliorem, utiliorem & magis neces-  
sariam: hoc materiam huic præ-  
senti suppeditavit disquisitioni. Si  
voto Tuo ex aſſe non fuerit fa-  
tisfactum, quod ſcias noſtrarum  
non esse virium, ſpero tamen  
ex his etiam pateſcere cuivis di-  
ſcipline ſuum eſſe protium; nec du-  
bito quin innoxios hosce Juveni-  
les conatus, pro Tuo candore,  
et qui bonique consulas. Vale.

§. I.

**T**U Niverſam orbis terrarum ſce-  
nam a primis inde incuna-  
bulis penitus intuentes animad-  
ver-

vertimus, omnibus temporibus repertos esse, nescio quos homines, qui vel nullis vel aliquibus duntaxat artibus liberalibus pretium ponendum docuerunt. An non toti Philosophiae omnibusque ejus Professoribus bellum suo tempore indixerit *Aristodemus*, *Cumarum Tyrannus*, qui informationem Juventutis in artibus liberalibus omni nitu sustulit, artiumque Gymnasia dirui jussit, si fides est Dion. Halicarnassensi: *Veterum Thracum Rectores* quondam turpissimum putarunt, si quis litteris operam dare vellet, teste Æliano. *Licinius Imperator*, qui ruditate sua admodum insignis suo fuit ævo, *litteras virus & pestem publicam appellavit*, litteratos vero omnes Roma expulit, per derisionem & barbaram arrogatiā vocans eos *mures aulicos* (a),

A 2

A

(a) quod notavit Christ. Martbiæ in *Theatri Hist.* p. m. 657.

A quibus non quidquam videntur abiisse Turcarum quondam Imperatores, qui non passi sunt, populos sibi subjectos erudiri in litteris (b). Vel magni Muscovitarum Duce, qui ad hæc fere tempora, Cives suos Philosophiæ littarumque studiis interdixerunt, ipsisque sacrorum Præsidibus sati putarunt, si syllabam modo legere & scribere possent (c); Ut nihil jam dicam de Medico quodam, cui nomen *Glaucus*, cuius meminit Plutarchus de tuenda sanitate, quem adeo fuisse superbum dicit, ut adseveraverit, *Philosophia se nihil opus habere ad suam Professionem*. Vel de *Scepticis*, qui rei nullius certam se scientiam habere dicunt & animanus habeant, aut pedes, aut cerebrum, semper dubitant.

(b) Conf. Calvörri Fiss. Zion. p. m. 1172. (c) Pufend. *Introd. ad stat. Eur.* cap. 21.

bitant, & aperte fatentur, quod  
ignorent an sit aliqua in natura  
rerum scientia (*d*); Vel etiam de  
*Juliano Apostata*, qui religionem  
Christianam, uti sperabat ever-  
sus, Scholas diruit, & bonas  
litteras discere vetuit (*e*); Aliis-  
que ejusmodi religionis veræ &  
pietatis non fucatæ hostibus, in-  
primis Carolstadii, sive Veteri-  
oribus sive Recentioribus fratri-  
bus, Consanguineis & Affinibus.

(*d*) *de quibus Mart. Schoockius in de sceptismo pluribus.* (*e*) *ut docet Christ. Pezelius Mellif. Hist. part. 2. p. 192.*

### §. II.

**J**AM accessuro ad hos, qui  
non toti quidem Philosophiæ,  
sed certis quibusdam illius par-  
tibus suum denegant pretium,  
primo forte loco nominandus  
erit

esset *Eques iste auratus & utriusque juris Doctor, Henricus Cornelius Agrippa*, qui in libro, de incertitudine & vanitate scientiarum, abjecte admodum de scientiis non tantum in genere sentire deprehenditur: *nihil enim inquit, perniciosius, nihil pestilenterius hominum vite animarumque saluti posse contingere, quam ipsas artes & scientias*(*a*). Sed in quavis litteras in specie & quovis litterarum cultores, justo est iniquior, ita ut nulla scientia videatur, quæ careat ex illius mente justa reprehensionis censura: At sunt qui ex Præfatione hujus libelli colligere volunt hunc *Agrippam* non sanæ; sed perversæ Philosophiæ se se opposuisse, atque in nimium duntaxat scientiarum abusum esse invectum. Quamvis autem locutione hy-

po-

(*a*) *Cap. I. p. m. 6.*

pothetica non liceat subvertere thesin ; nec orationem liceat formare simpliciter veram, quæ secundum quid est tantum vera. Hanc tamen controversiam non facimus nostram ; sed huic ita deaurato Aurato adjungemus exempla hominum alia, eaque specialiora. Quem latet *Mathesin* quibusdam temporibus fuisse, in primis a Pontificiis ad insitas redactam. Mathematicorum enim figuræ & circuli pro præstigiis diabolicis sunt habiti. *Gregorius*, qui *magnus* vulgo dicitur, non tantummodo *Mathesin* jussit ab aula recedere, sed ut traditur a Majoribus, incendio dedit probatæ lectionis

*Scripta, Palatinus quaecunque tenebat Apollo.*

Et Eruditorum ipsa ἀνθογεα<sup>Q</sup>a tum periisse dolent hodienum viri doctissimi. Imperatores Ro-  
ma-

mani Tiberius & Claudius, consul-to senatus decreverunt *Mathematicos* ex Italia pellendos. Ur-be etiam Romana Italiaque ut excederent *Mathematici*, non tan-tum jussit *Vitellius*, sed eosdem inauditos, capite insuper puniebat, teste Suetonio. *Musicam Al-cibiades* dicente Plutarcho, ut rem sordidam ac illiberalē re-fugit, ejusque artis studiosos ir-risit. hanc ob causam forte *Archidamus* Spartanorum Prin-ceps, laudanti Citharædum, e-umque admiranti: *quis inquit, honor apud Te bonis viris erit, qui Citharedum adeo laudas,* ut est a-pud Plutarchum. Præter alia, ipsius etiam Aristotelis *opera Phy-sica*, ab **Alexandro Magno** tan-ti habita ut divulgari noluerit, leguntur prohibita & combusta in Concilio Parisiensi secundo (*b*);

Do-

(*b*) *apud Guil. Cap. Hist. Litt. Ecccl.*  
p. 659.

Doctrinam spirituum illudunt  
 Balth. Beckerus aliique. Ipsi vero  
*Philosophiz Morali*, quomodo se se  
 etiam opposuerint Pontificii vel  
 ex libro patet, qui Venetiis prodi-  
 issé de laudibus Sodomiæ, dici-  
 tur *Meisnero* (c); ut de nostra æta-  
 te nihil jam loquamur. *Metha-  
 physicam* *Joachimus Langius* inter a-  
 lias refert disciplinas, quæ lata-  
 gunt circa commenta *Aſtutorum*  
 & *otiosorum hominum* distinen-  
 dis ingeniis, in sua Medic. Men-  
 tis (d). *Logicam* quoque si non o-  
 mmem *Philosophiam Academicam*  
 pluribus expugnare conatur, in  
 eodem libello: hinc Logici *gral-  
 latores* ipsi dicuntur, Logica non  
 nisi *artis grallatorie* titulum ab e-  
 o obtinet; addit insuper hoc  
 quod mirari subit: *Ego sine quod  
 bona fide testor, in uno rustico non-*

num-

(c) in *dift. de antiqua ratione  
 disputandi vitiosa*; (d) pag. 572.

nunquam plus deprehendi sapientia,  
 quam in omnibus, quotquot unquam  
 vidi aut legi Logicis (e), Orato-  
 res mendacii argui non est igno-  
 tum. Cujus causa etiam Poëtas  
 multi contemnunt cum Platone,  
 qui eos e civitate sua omnes ejici-  
 endos voluit. Ita de Homeri car-  
 minibus, atque Virgilii abolen-  
 dis cogitavit Caligula, ut docet  
 Suetonius. *Linguarum studia* alii fa-  
 stidiunt, ceu Accursius Juriscon-  
 sultus, qui dixisse narratur, quo-  
 ties paragraphus occurreret græ-  
 ca: *haec Greca sunt non leguntur.*  
 Notatum legimus de Monacho  
 quodam declamante in Ecclesia:  
*que nova jam reperta est lingua, que*  
*vocatur Greca; ab hac sedulo capen-*  
*dum. haec est, que parit istas here-*  
*fes. ea lingua proditus liber passim*  
*in manibus habetur & vocatur No-*  
*vum Testamentum. plenus hic liber*  
*rubetis & viprotis.* Et post pau-  
 ca:

ca: aliām jam oriri linguam, quam  
vocant Hebrew; hanc quis discunt  
efficiuntur Iudei. De lingue Latine  
corruptelis plura existant monu-  
menta, quam ut amplius de illis  
quidquam differamus.

### §. III.

Ceterum non statim malum  
videri debet, quod eit a qui-  
busdani reprehensū; nam et dul-  
cis sapor omnium creditur præ-  
stantissimus, qui tamen noñ nullis  
est ingratus. Crescente vel decre-  
cente umbra, corpus tamen ipsū,  
cujus illa est umbra nec crescit, nec  
decrescit: ita nec melior fit quis-  
quam dum laudatur vulgo, nec  
pejor dum vituperatur (a); Qui  
mente eit a præjudiciis vel igno-  
rantiæ, vel malitiæ, vel etiam  
ambitionis atque invidiæ vacua,

sta-

(a) ut docet Middendorpius in A-  
cad. celebr. Libr. I. cap. 12, p. m. 3.

statim deprehendet, si medo ingenii intenderit vires, nihil magis homini arridere & in suum desiderium trahere posse, quam artes & scientias. Harum quippe studia animum humanum a primis unguiculis ad rectam ducunt viam, ignorantiae caliginem depellunt & ad rectum rationis dictamen legumq; normas omnes actiones dirigendas esse docent. *Ingenium multis artibus & divinis & humanis excolitur & acuitur. instruiturque magna & admirabili rerum notitia, quo exactius singulorum naturas & pretia cognoscat; possitque voluntatem docere, quid sequendum bonum, quid vitandum malum, ut præclare olim dixit Joh. Lud. Viv. Valent. (4), & Ovidius:*

*Scilicet ingenium placita mollitur  
ab arte.*

*Et studio mores convenienter eunt.*

*Quia  
(b) in introduct. ad sap.*

Quid itaque est, ut cum Cic. lo-  
quar (c), per Deos optabilius sapiētia?  
quid præstantius? quid homini meli-  
us? quid homine dignius? hanc e-  
nīm qui expetunt Philosophi nomi-  
nāntur: nec quidquam aliud est Phi-  
losophia, si interpretari velis, quam  
studium sapientiae. Sapientia autem  
est, ut veteribus Philosophis defini-  
tum est, rerum Divinarum & huma-  
narum, causarumque, quibus bæ  
artes continentur, scientia. Cujus  
studium qui vituperat haud sane in-  
telligo, quidnam sit, quod laudan-  
dum putet. Nam si oblectatio que-  
ritur animi, requiesque curiarum,  
qua conferrī cum eorum studiis pot-  
est, qui semper aliquid adquirunt,  
quod spectet & valeat ad bene bea-  
teque vivendum? sive ratio constan-  
tie virtutisque ducitur, aut hæc ars  
est, aut nulla omnino, per quam e-  
as adsequamur. Nullam dicere ma-

ximā-

(c) de off. p. m. 166.

ximinarum rerum artem esse, cum mininarum sine arte nulla sit, hominum & parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Sapientia enim inæstimabilis est res. Ego doctrina optimarum rerum aliis anteire malim, quam copiis atque opulentia, vox est Alexandri Magni ad Aristotelem, tanto Imperatore etiam dicente notatu dignissima (.) Hæc alumnos suos vere nobiles & felices reddit; Principum etiam amicos & illuminatores orbis efficit, ut alicubi profitetur gloriosissimus Imperator Justinianus; Immosumمام etiam benevolentiam apud barbaros suis cultoribus conciliat; quod recte deprehendi ajebat Aristippus, si doctus cum indocto, nudi ambo ad ignotos mitterentur. Ipsi Turcae & Saraceni, experientia docti, olim furiose everas Academias, Scholas,

(d) ex Gell. libr. 10. cap. 4.

las, Bibliothecas restituere per-  
gunt. Adeo ut quorundam ho-  
minum temeritatem & impuden-  
tiam demirari non possim, qui  
humaniores artes, quibus nec  
dari melius a Deo, nec in hac  
vita optari majus ab hominibus  
potest contemnere, & tam ne-  
cessarias Academias evertere co-  
nantur, a quibus omnem suam  
fortunam & eam ipsam, quam  
nunc ingratissimi oppugnant, e-  
ruditionem, hauserunt. Rem  
melius pensitavit *Aristoteles*, qui  
patronus litterarum hoc doctos  
ab indoctis differre ajebat, quo  
vivi a mortuis. Nec est itaque  
sine ratione, quod etiam Cicero  
alicubi exclamaverit: *O vita Phi-  
losophia Dux! o virtutis indagatrix,  
expultrixque vitiorum! quid non mo-  
do nos & omnino vita hominum sine  
te esse potuisset? tu urbes peperisti,  
tu dissipatos homines ad societatem  
vita*

vite convocaſti: tu eos inter ſe pri-  
mo domiciliis, deinde conjugiis, t: m  
litterarum & vocum communione  
juxxiſti: tu inventrix legum: tu  
magistra morum ac discipline fuisti,  
ad te confugimus, a te opem peti-  
mus, tibi nos penitus totos tradi-  
mus.

#### §. IV.

**V**ERUM enimvero ad speciali-  
ora condescensuris, cum  
nobis non liceat eſſe vel Theo-  
logis, vel Ictis atque Medicis, &  
commendatissimum fit forte cui-  
que nostrum hocce Augustini:  
*contra rationem nemo sobrius;* con-  
*tra scripturam nemo Christianus;*  
*contra Ecclesiam nemo pacificus,* ſen-  
ſerit. Ad Mathematica nos pri-  
mum convertimus ſtudia; ad-  
miramur vero vefaniam eorum,  
qui neſcio quibus pravis affecti-  
bus occœcati eam etiam ſcien-  
tiam

tiam & suffocare & suffigillare  
fategerint, quæ usibus humanis,  
quam maxime inservit & hoc  
in primis ad sui admirationem  
quosvis trahit, quod quæcunq;  
vel facienda vel demonstranda  
proponit, ea proponat vi de-  
monstrationis, ut nullibi plus cer-  
titudinis ac evidentiæ dari pos-  
sit. quis Arithmeticæ, quis Geo-  
metria diceret homines carere  
posse? quis non advertat usum  
Matheſeos, investigaturus cœ-  
lestium corporum positus, motus,  
directiones, retrogrationes, sta-  
tiones, in quibusdam luminis  
crescentis decrescentisque phases  
aut figuraciones, defectus aliquo-  
rum & occultationes similiaque  
phænomena? (1) Quis locoru ter-  
restrium situs, distantias, lati-  
tudines & longitudines, totius  
massæ terraueæ sphæricam ro-  
tunditatem, climatum aut Pa-

B ralle

(1) Conf. Sætur Pbil. Eccl. tom. 2. p. 35.

rallelorum diversorum, Antæcorum item Periæcorum & Antipodum diversas conditiones, quoad longitudinem dierum ac noctium, tempestates anni ordinarias, umbrarum meridianarum situm demonstrabit sine ope Matheos? quis necessitatem Matheos in Architectura, vel civili, vel militari, vel navalii non agnoscet? Immo quis dicat, quomodo Commercia sine Matheos usu, sibi constare queant? Mitto jam alia. Difficile enim est dictu, quot & quanta sint Matheos commoda, sive eam in se attendas, sive quatenus ad alias disciplinas se extendit, ut recte monet Magnus etiam Wossius (*b*). Quis dubitabit bis duo esse quatuor? Tres trianguli Angulos duobus rectis esse æquales &c. Rectissime

(*b*) in libro de universo Math. Natur. & Conf. Cap. 2. §. 1. p. m. 5.

me itaque fecisse putamus *Julium Cesarem* post bellum civile, cum ex Ægypto in Italiam reversus ad ornandum imperium Romanum sese convertit, quod etiam insignes inde Mathematicos adduxerit & auctor extiterit, ut Mathematicæ in primis disciplinæ in Italia colerentur. ratus nulla commodius, ratione regnum tantis laboribus partum, in pace diu feliciterque conservari, quam si bonis litteris illud ornaret virisque augeret sapientibus. Et licet aliquæ sint disciplinæ quæ cognitionem rerum Mathematicarum ab solute non requirant, variæ tamen sunt, quæ eam necessario præsupponant, utpote Medicina, Chymia & Scientia præsertim Naturalis, in qua tanta est vis Mathematum, ut nemo nisi ejus cognitione imbutus, sibi perfectam

rerum *Physicarum* notitiam comparare possit, judice etiam Celeb. Buddeo (c). Addenda hic forent quædam de utilitate *Musices*, cum illam etiam nauseam peperisse quibusdam audiverimus: sed vocamur per tempus ad alia, sufficiat nunc tantum monuisse circa hanc rem, quod *Musica* non sinat animum torpere, sed igniculos in ea latentes suscitet haud secus ac ignem folle excitamus. Immo nullum esse genus hominum, cui non *Cantus* abstergeat molestiam laboris, ac solarium adferat; ut inter alia plura notavit non sine acumine mentis, Celeb. Wossius (d). *Scientiae Naturalis sive Physicae* utilitas, satis superque ex hoc elucefecit, quod contemplatione naturæ rerumque naturalium deducatur.

(c) in *Isagoge Hist. Theol.* cap. 4. § 34. p. m. 327. (d) in libr. supra cit. cap. 21. p. m. 87.

ducamus, ad investigandum totius universi fundatorem & auctorem; ad explorandum corporum terrestrium in toto triplici naturæ regno: animali, vegetabili & minerali conditionem; corporum item cœlestium fabricam, ornatum, vires & concatenationem, aliaque quæ huc pertinent. Ut taceamus utilitatem quam Scientia Naturalis præstat, non tantum Theologis in expositione historiæ creationis, parabolæ & plurimorum scripturæ dictorum: verum etiam Jurisconsultis in suis casibus forensibus: & Medicis in primis; qvum verissimis Philosophiæ Naturalis fundamentis totam niti Medicinam, nobis non sit dubium. Qui doctrinam rident spirituum, næ illi altero se oculo privatos velint, cum utroque ex benigna Dei gratia uti possunt.

Et

Et posito effectu necesse est causam vel esse vel fuisse. In commendationem *Philosophiae Practicæ* ut multa adducamus, quid opus est verbis, quum rerum ubivis ad sint quotidie testimonia. Unde officia quorumvis in quosvis rationem virtutum & vitiorum modum administrandi Rempublicam, aliaque ejuscemodi petas, si non ex hac Philosophiæ parte. *Qui igitur vivere non vult, is ne Philosophetur; qui turpiter vivere vult, is Philosophiam ne sectetur; qui autem Philosophari non vult, is ne felix quidem esse vult,* judice Middend. (e). Huc pertinet hocco Diogenis Philosophi, qui dicenti cuidam, se Philosophiam parum curare, quid ergo, inquit, vivis, si ut recte vivas, tibi cura non est. Sic ordine doctrinæ supra constituto, ad volvendum lapidem, qui vitio sive docentium

sive

(e) in Cel. Acad. Libr. I. c. 12. p. m. 3.

sive dissentium est jam plurimis offendiculo, devolvimur; nempe examinandum quod Metaphysicæ sit pretium; Quemadmodum autem illi termini, qui omni fundamento destituuntur, & re ipsa nibil significant tanquam corruptæ Phantasie deliria rejici, ac ex omnis generis doctrina proscribi mententur; ita e contrario insignem usum præstat, si quando Universales Ideæ, quibus generalem verum singularium convenientiam & disconvenientiam mente concipimus, commodis terminis exprimuntur, simulq; universales inde fluentes veritates sistuntur; sic enim in multis adcuratius & cogitare & loqui possumus, ut verba Clariss. Genzkenii nostra faciamus (f). Quod etiam docet Celeb. Jo. H. Bœclerus (g). Exemplo Bachovii in Jurisprudencia,

(f) ex ejus Met. p. m. 2. (g) in sua Bibliogr. p. m. 619.

zia, qui cum pridem fuisset Magnus Jurisconsultus, postea tamen, qvum Metaphysicam adiecisset suæ eruditioni, longe melius potuit explicare, quæ ardua & profunda erant. Item *Hugonis Grotii*, qui cum adjecisset animum ad explicandum Ius Naturæ & Gentium, per singulas partes vidit se non posse satis subtiliter in hoc argumento versari, absque ope & adminiculo sublimis sapientiæ, qvam Metaphysicam vocant (b). Quanta Metaphysicæ sit utilitas in Theologia præfertim Polemica, pluribus docet Celeberr. Fechtius (i); aliisque. Quomodo vero adversariorum falsis hypothesibus exacte occurras quæsto, quomodo objectiones eorum enodare

(b) ut verba sonant in Bibl. cit. p. 209. (i) in Noct. Christ. Exer. prima;

re velis, nisi intelligas sermones illorum & ex suis latibulis etiam extrahas ipsos, ope Metaphysicæ. Licet in se sit sufficiens atque illustris Theologia pariter & Philosophia, lucem tamen prefert Metaphysica, nebulasque, quæ ex corrupta natura rationi sese insinuant, & scientiam vel Naturalem vel Revelatam impediunt dispellit; ut Magnus iterum Fechtius argumentatur (k). Adde hoc Scaligeri (l): Subtilitates Metaphysicæ quanquam sint animis otiosis otiose atque inutiles: tamen vegetis ingenis sumam cognoscendi adferunt voluptatem. & Paulo post: harum indagatio subtilatum, et si non est utilis ad Machinas farinarias conficiendas: exuit tamen animum inscitiae rubigine, acuitque ad alia (m). Quod attinet

(k) Noct. Christ. p. m. 9. (l) Exerc. 307. Sect. 3. (m) Conf. Schoochium de scept. p. m. 448.

tinet ad Philosophiam Rationalem sive *Logicam*, quis ejus non advertit usum, nisi cum ratione insanire voluerit; est enim illa ars bene ratiocinandi; docet modum recte ratione utendi; vel ut verbis Cl. Buddei utar: medetur intellectus vitiis eumque aptum reddit ad veritatem investigandam & inveniendam (n), Illius ductu quasi filo Ariadnæo hominum cogitationes ad rite res cognoscendas feruntur; ejus ope quasi radiis solis, vera lux rationi humanæ affunditur, & omnia in contentionem venientia in cineres & favillas dissolvuntur; sine hac disciplina nec genus & speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possimus: nec judicare quam vera, quam falsa sint; neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua disinguere.

(n) Phil. Inst. p. m. 102.

guere. ut habet Cicero in suo  
Oratore (o). Non est itaque sine  
fundamento hocce Seebachii (p),  
quod sol est mundo, Medicina cor-  
pori atque Collyrium oculo; hoc Li-  
gica nostræ rationi præstat; vel hoc-  
ce Danhaveri: utut bonorum utilium  
numero sint plurima, nescio tamen,  
an quicquam homini, qua homo est  
ad intellectualē vitam natus, opta-  
bilius esse possit ad curata Logices co-  
gnitione (q); Artis Oratoriae five  
Eloquentiae utilitatem & necessita-  
tem, orbis agnoscit eruditus.  
Quis enim cobortari ad virtutem  
ardentius, quis a vitiis acris re-  
vocare, quis vituperare improbos  
asperius, quis laudare bonos orna-  
tius, quis cupiditatem vehementius  
frangere, hac dicendi facultate  
pe.

(o) §. 16. p. m. 357. (p) in In-  
trod. in juris & Pol. Atrium per vi-  
am Logices, p. m. 8. (q) id B. Disp.  
p. m. 2.

poteſt. Is autem, judice eodem Cicerone eſt eloquens, qui poterit parva ſummiſſe, modica temperate, magna graviter dicere (r). Quæ ſi aptentur Eloquentiæ Ligatæ eodem recidit res. Ne tamen quid diſſimulemus, hoc augere videatur *Poëtices* preſtum, quod ipſe Magiſter gentium aliquot verſus Poëtarum ſuis inſperſit ſcriptis; & Homeruſ dicatur melius docuiſſe, qvid honestum, quid turpe, quid utile, quid inutile, quam Philoſophi alii (ſ). Reſtat ut de *Linguarum ſtudio* mentem explicemus noſtram; ſcilicet uſum earum eſſe eximium; in primis ſacrarum, qvum purius ex iſis bibantur fontibus aquæ, & fine linguarum ſacrarum ſtudio nec verum ſcripturæ ſenſum inquirere, nec emphafes vocum de-

(r) in *Oratore* §. 101. p. m. 365.  
 (ſ) *Conf. Woffii Philol.* p. m. 73.

declarare , nec phraseologiæ sacræ rationem exponere , nec quid ad intelligendam Spiritus Sancti mentem faciat , indicare , vel contra hæreticos disputare queamus ; ut alia jam prætermittamus .

### §. V.

**Q**UODCUNQUE autem sit pretium Philosophiæ & cuiusvis ejus partis , ab ea , quam intra se possidet , dignitate , absit tamen ut dicamus , cum Barth. Keckermanno , lucem Spiritus Sancti accendi per studia Philosophica ; vel Philosophiam esse Scripturæ Sacrae interpretem , quod edito libello *Anonymous* quidā non ita priedē fecit . Quod enim quis ipse non habet , alteri dare non potest . Cœcus si cœcum duxerit , an non ambo incident in foveam ? Optimus est quisque suorum verborum interpres . Cetera suppedita-

ditabunt Theologi, quæ ad hanc  
pertinent materiam.

§. VI.

**N**Ec negamus abusus Philo-  
phiæ esse maximos, vitio-  
que hominum scientias etiam  
esse perniciosas: verum non fit  
hoc per se, sed per accidens:  
non ex sua natura & conditione  
intrinseca, sed ratione extrinse-  
ca; quod ipsis scientiis nullo mo-  
do imputari potest. Malitiam,  
ambigo an imperitiam dicam, quo-  
rundam, qui abusum Artium ab ea-  
rundem usu discernere vel non volunt,  
vel non possunt; similes illis, qui ob  
adherentes auro scorias, integras da-  
mnant & abiciunt massas; ut ver-  
bis utar Fechtii.

*Quid prodest, quod non ledere possit  
idem?*

*Igne quid utilius? si quis tamen  
urere recta  
Cœperit, audaces instruit ille ma-  
nus;*

Ovid.

Ovid. (a). *Recte Isocrates in Nicocle: Haud, inquit, accusandæ res ille sunt, per quas cum virtute aliis præstare possis, sed homines potius, qui aut res illas male tractando corrumpunt, aut eloquentiam, de aliis idem esto judicium, ad imposturas conferunt.* Miror autem cur ii, qui ita sentiunt, non etiam dicitias aut robur in crimen vocant. *Nim si propter eos irascuntur Eloquentie, qui decipiunt & mentiuntur, etiam cetera bona, quibus aliqui abutuntur, vituperare debent.* Verum non convenit, hominum improbitatem in res transferre; sed illi ipsi culpandi sunt, qui bonis rebus abutuntur & cives per ea ledere conantur, que ad eorum salutem convertere potuissent. Sic fallit nunquam Dialecticus, inquit Rudolphus Agricola, & pro veris falsa tradit. Evenit id quidem; sed & navim Gubernator ebrietate

5

(a) Libr. II. Trist.

Et Medicus perimit. Hominum sunt ista non artium: atque vel eo magis fatendum erit, utilem esse Dialecticen, cum & qui oratione seducunt, astu id persepe, nulla etiam arte instructi, faciant; & qui fallitur, si artem calueret, vel nequaquam id, vel minus utique pataretur (b).

### §. VII.

**N**EQUE ETIAM URGEMUS omnes Philosophiae partes omnibus omnino & que esse necessarias. Linguarum sacrarum studium, non gradu eodem commendamus Politicis atque Theologis. Mathesin non adeo necessariam putamus cuivis Theologo ut Physico & Medico. Minori suo incommodo Metaphysica carere possunt Mechanici, quam disputantes cum Jesuitis & aliisque hereticis. Attendendum ergo

(b) libr. 2. de Inv. Dial. cap. 2.

ergo judicamus: quo feratur  
 ingenium, quis scopus studio-  
 rum nobis sit præfixus, quid  
 per fortunam liceat, & quid ra-  
 tio vocationis a nobis requirat.  
 Non omnia possumus omnes;  
 saepe ubi deficit in uno natura, in  
 alio eruditionis genere majori & in-  
 estimabili fœnore compensabit. Et  
 ea insuper quorundam ingeniiorum est  
 ratio, ut naturali felicitate exter-  
 num scientiarum studium vincant &  
 sint verbi cauſa Metaphysici, ubi  
 Metaphysicos ſeſe eſſe inficiantur aut  
 ignorant, ut loquitur Celeb. Fech-  
 tius in Noct. Christ (a). Clariffi-  
 mus Buddeus & Hilligerus contra  
 teſtantur, experientia conſtare, quod  
 Viri in Algebra & Geometria ad mi-  
 raculum usque exercitati, ad Theolo-  
 gie & Philosophie Moralis ſtudia  
 longe fuerint ineptiſſimi (b). Non  
 C exi-

(a) ex. I. p. m. 14. & 15. (b) Conf.  
 Hill. Inst. Log. Eccl. p. m. 166.

existimaverim vel Ecclesiæ vel  
Reipublicæ optime esse consul-  
tum, si vel omnes atque singuli  
essent vel tantum Theologi vel  
Mathematici tantum, vel etiam  
Philosophiæ Moralis tantum cul-  
tores. Singulis suus debetur lo-  
cus: Non equidem opus est, inquit  
D. Fechtius, ut quilibet vel Eccle-  
siæ Minister, vel Academiæ Doctor;  
ad tantum hujus scientiæ, de studi-  
o Metaphysices illi sermo est,  
fastigium graffetur; quin imo stolido  
faceret, qui, qua ad scopum ipsius (ne-  
que enim omnes ad refutationem  
Adversariorum publicam vocamus)  
proprios faciunt, postponeret Meta-  
physicarum tricarum operosæ specula-  
tioni; sed cum dona atque charis-  
mata Spiritus Sancti in Ecclesia va-  
ria esse oporteat, necessarium est,  
ne illi nobis desint, qui in hoc  
doctrine genere adversarios vel su-  
perent vel aequent: id est, qui ido-  
nei

nei sint, ut eadem auctoritate, qua illi nos adoriantur, illorum argutias retundant, neque occasionem Ecclesie hostibus praebent, intra sinum suum ridendi, ac si vinculis nos indissolubilibus irretiissent, & his fratagematibus simpliciores ad vanitatem religionis sue seducendi. Reliquis vero suis cuilibet, quem sibi pro scopo prefixit, finis mensurans suppeditabit, vel sublimiorem in hac scientia gradum attingere, vel intra mediocritatem subsistendi (c). Omnib<sup>9</sup> adcurate cognoscendis non sufficit vita humana; in partes ergo studiorum dispelcemus tempora, auctore Wossio (d). Et primum quidem in id incumbamus, ut communiora & vulgariora omnes in omnibus sciamus disciplinis; quibus deinde felicius est ingenium & otii ab-

unde

(c) in Noct. Christ. p. m. 81, (d)  
in Pbilol. c. 2. §. 14. 16. p. 19. &c.

unde, & doctorum affatim, hi etiam ulterius tendant, totasque disciplinas, saltem *nāl' īmloꝝn̄*, cognoscant, superfluis vel minus utilibus recisis. Postea certæ est disciplinæ insistendum, cujus exquisitam cognitionem sibi proponere oportet. nam si in generali ubique notitia substiterimus, audire cogemur vulgatum illud: *de lomnibus aliquid, de toto nihil.* & hoc Martialis: *Quisquis ubique habitat, maxime nusquam habitat.* Immo qui ubique est, & ubivis domi esse vollet, vix hospitis personam digne sustinebit. Si vero nec in uno liceat nobis æque esse felicibus, veræ solidæque eruditionis initium esse putabimus, quo pervenire ingenii impetu non possumus, saltim adniti ut eo perveniamus. Verum enimvero *ut nefas est, judice Fechtio (e), quod aut*

*(e) in Noct. Christ. p. m. 6.*

aut studio tuo non attigisti, aut cu-  
jas subtilitatem ingenii tui tarditate  
non asserutus es, adeo nanci habere,  
ut & aliis ejus fastidium conciliara  
perras, sive publicis scriptis sive  
privato tuo studio; vel si existima-  
veris egregie te tua tutatum, si  
vel cavillationibus, scommatis  
& calumniis aliis prævalere po-  
tueris; Ita vitio non caret, si  
vel tuæ eruditioni nimium statu-  
es pretium, vel in tuis studiis  
laudandis modum excedas. Ma-  
culam non levem suæ adspersis-  
te famæ *Claudium Salmasium*, Di-  
cit Dn. *Helvadius* in Diss. de Mo-  
destia eruditorum, quod Mono-  
polium quasi scientiarum sibi vin-  
dicaverit. Cum enim in Collo-  
quio cum *Gaulmino* quodam &  
*Mauffaco* sermo de eruditissimis  
in orbe viris fieret, & *Gulminus*;  
cedere nobis tribus ceteri omnes, cre-  
do, debent, dixisset, utrosque ce-  
teris

teris se adjicere, sibiique uni paria omnibus faciendi partes relinquere jubebat; hisce addit: ita major arrogantia minorem fregit, atque unius impudentia alterius in pudorem dedit (f). Verum qua in re clarus quisque est, ad eam properat, & diei partem illi plurimam impertit, in qua ipse se exuperet; verba sunt Middendorpii, (g) quod inde evenire manifeste cernimus, si fides est Celeb. Fechtio; quia ea, que majori diligentia excoluimus, quaque majori successu comprehendimus, ut & nobis binc aliquid accedat glorie, majori censemus estimatione digna, quam que vel non intelligimus vel negligentiori studio tractamus. More hominum fit, ait Erasmus (h), ut tantum quis-

(f) §. 27. p. 26. (g) in Cel. Acad. c. 9. p. m. 79. (h) libr. de Meth. Theol.

quisque probet, quantum se aſſequi  
poſſe conſidit (i). Hisce manum de  
tabula. &

Sit Soli ſummo gloria ſumma  
DEO.

(i) plura peti poſſunt ex J. B. Menck-  
kenii Charlataneria Erudit.



Pretium Disciplinarū, qvum Per  
erudita Dissertatione Acad. exa-  
mini eruditorum submitteret

Julvenis

Pere ximius atque Politissimus

Dn. JACOBUS GARWOLIUS.

**D**ulcum te, Eruditissime Dn. Respon-  
dens, Amicorum intime, & pro-  
pter savissimos mores, & singularem  
Animi probitatem atque constantiam ita  
amavi, ut ad eum amorem nihil quicq;  
quam accedere posse putarem. Accessit  
tamen in dies haud parum, ut mira-  
ver locum fuisse ei augendo, quod mi-  
hi jam pridem etiam variis officiorum  
generibus cumulatum videbatur. Tantum  
velim tibi persuaderet, cognita hac tua  
dissertatione accuratissima linea, id mi-  
hi fuisse animi, ut nisi hac jucundissi-  
ma occasione, cum mihi publica locus  
sit meum erga te declarandi affectum,  
te, mi Amice, gratulatione qualicunque  
exciperem, non sene te amare, sed le-  
viter diligere viderer. Quare ego, cui  
& alias validissimum grati animi testan-

di.

di, pro Parentis rni Carissimi infinitis  
in me meosque collatis beneficiis, vincu-  
lum injectum est; jam & propter neces-  
sitatem nostram temperare mihi non  
potui, quoniam ausus tuos honestissimos gra-  
tularer. Quavis itaque praeclaris, A-  
mice exopratissime, quae totus litteratus  
orbis querit, te adsequutum esse, ma-  
gnopere gaudeo, quoniam de Pretio Scienti-  
arum facunde & erudite satis disputas.  
Quidquid sagacissima ingenia de nobilis-  
simo hocce argumendo magna industria  
adnotarunt, ea omnia tu, mi Garwoli,  
fetici calamo in compendium mittis, &  
in apricum ad multorum usum proferre  
pergis. Quod tandem est sapere, hoc est,  
lectis, relectis & perlectis doctorum mo-  
numentis, ea de rebus ferre judicia, ut  
non tam labores aliorum exscribere, quam  
proprio marte, proprio ingenii acumine,  
propriisque viribus explorare omnia cen-  
searis. Gratuler iecirco dulcissima Patria  
& Ecclesiae nostraræ afflita ejusmodi cives  
dedecori minime futuros. Gratulor Pa-  
renti Tuo, Viro Gravissimo, filium exo-  
peatum, & honestarum artium stupiis  
inflammatum, cuius vigilias, laborem,  
dili-

diligentiam Laurea, quando Deo ita vi-  
sum fuerit, certo certius coronatura est.  
Gratulor etiam tibi, Garwoli, progres-  
sus tuos pulcherrimos in spatioſo & ar-  
duo litterarum campo, horasque bellissi-  
me collocatas, quas te non in luxum,  
ganeas, commiſſiones, ludibriisque va-  
nitatum effusisse, perspicue admodum  
demonſtras. Gratulor denique omnibus  
tibi consanguinitatis vinculo conjunctis,  
quorum honestas opinioneſ de te conce-  
peras non frustratus; ſed talem te, hoc  
ingenii ſpecimine, declarasti, qualem fu-  
turum ſperauunt. Quorum in numerum  
habes me etiam relatum, qui Summum  
Numen Vita Auctorem ardentiffimis de-  
fatigo ſuſpiriis, uetit tuis conaminibus  
ex alto benedicere, atque honores hoc  
labore partos, tibi fortunare, & qui-  
dem ita, ut fructum Multo dulcissimum  
ac perpetuum bonum cum Deo habens. Sic  
prolixiori affectu, quam verborum appa-  
rebit, magnis conſtrictus angustiis, in  
certam amicitiae notam ad clamare voluit  
intimus tuus amicus & Sympatriota.

PETRUS FORTELIUS.

Biorneburg.

*Ad Pereximum, litteris morumque  
elegantia Ornatissimum*

Dn. JACOBUM GARWOLIUM,  
Optimi Parentis haud degenerem  
filium, dum eruditam, de Pre-  
tio Omnia Disciplinarum. ede-  
ret Disputationem,

*I*n genii specimen vari propo-  
nere cunctis  
Pergis, dum scandis virtutis non  
sine laude  
Pulpita doctorum, præcelisque  
culmina montis,  
Et legis in Pindi maturos vertice  
flores,  
Flores quos carpit Tibi mox ter-  
trina sororum.  
Hinc qua magna venit nobis,  
occasio præsens

Po-

Postulat ut grater Ti nunc do-  
ctissime amice.  
Gratulor ergo Tibi Garmoli pe-  
ctore toto  
Applaudoque Tuis, latus, co-  
natibus hisce;  
Optans ut sumimum Numen tua  
cæpta secundet,  
Incolunemque velit Pylios Te  
existere in annos,  
Et, simul ac terras linquis, dare  
gaudia mille!

Tantillum animo quam verbis pro-  
lixior adjecit festinabundans

C. J. Welin.  
B. F.